

tum, ut ipsi fatentur, idque infallibiliter, et non ex præscientia Dei, qua prævidit effectum contingentem futurum hoc modo potius quam illo, nam hoc ipsi ex professo impugnant; ergo est infallibile ex vi causæ; ergo contrarium est impossibile; sed ad impossibile non est potentia; ergo non est in voluntate potestas ad resistendum huic motioni, ex suppositione illius. Probatur consequentia, quia resistere esset conjungere negationem consensus cum illa motione; sed hoc est impossibile, neque ad illud est potestas in voluntate; ergo neque ad resistendum tali motioni. Præterea declaratur in hunc modum, quia si comparemus potestatem voluntatis ad naturam et entitatem illius motionis, ita se habent ut non possit voluntas illud auxilium facere inefficax; ergo non potest illi resistere, nam per resistantiam fieret inefficax. Antecedens probatur, quia illud auxilium est efficax ex intrinseca natura sua, ut isti dicunt; sed non potest voluntas mutare naturam talis auxilii; ergo non potest facere illud inefficax. Item non magis potest voluntas resistere illi auxilio, quam voluntati divinæ beneplaciti efficaci; sed huic voluntati Dei non potest voluntas nostra resistere, ut Scriptura docet; ergo nec tali auxilio, si tale est. Major est frequens in illis auctoribus, et est consequens ad illorum doctrinam. Quia ponunt illud auxilium habere vim ad implendam voluntatem divinam, tam infallibiliter et efficaciter, quam necessarium est ad omnipotentiam et infallibilitatem divini decreti; ergo fieri non potest ut sit tale, et quod in voluntate sit potestas resistendi illi auxilio, etiam in sensu composito. Et confirmatur tandem ac declaratur, quia potestas in sensu composito est potestas ad componendum unum cum alio, et ideo, stante consensu, non manet in voluntate potestas ad dissensum in sensu composito, quia non potest voluntas unum actum cum alio componere, id est, simul utrumque habere; sed, juxta illam sententiam, ita repugnat simul componi auxilium prædeterminans cum carentia actus, sicut repugnat componi consensum cum dissensu; ergo repugnantia est dicere cum tali determinatione manere in voluntate potestatem resistendi in sensu composito.

6. *Hæ contradictiones non evitantur per supradictam distinctionem auxilii efficaciæ.* — Neque hæc incommoda evitantur per distinctionem auxilii efficaciæ quoad puram entitatem suam, vel quoad totam virtutem quam habet ut instrumentum Dei. Nam imprimis quæro

de auxilio secundum præcisam entitatem spectato, an prædeterminet physice voluntatem, necne. Nam, si non prædeterminat physice, non est efficax, secundum communem sententiam horum auctorum; ergo male ponitur sub auxilio efficaci, et tanquam membrum; et confirmatur: nam si non determinat physice voluntatem, ex se non habet infallibilem connexionem cum consensu voluntatis, nec etiam habet illam ex præscientia conditionata in sententia horum auctorum; ergo simpliciter et omnimodo non habet talem connexionem infallibilem; ergo est simpliciter contingens, ut cum entitate illius auxilii conjungatur carentia talis consensus; ergo tale auxilium non est efficax ex se, nec dat actu operari, sed posse. Si autem auxilium sic spectatum in sua præcisa entitate prædeterminat physice voluntatem, incidimus in contradictiones illatas. Nam repugnat voluntatem posse resistere tali auxilio efficaci; nam resistantia (ut dixi) includit sensum compositum, quia nisi adsit adversarius, non habet locum resistantia; in sensu autem composito, impossibile est voluntatem resistere entitati ipsam physice prædeterminanti, quia physica prædeterminatio in sua ratione includit ut non subdatur dominio voluntatis, sed illam potius sibi subiciat, ut ex terminis est notum, et aliis locis idem auctor dicit; voluntas autem, ubi dominium non habet, nec resistere potest, quia non nisi per potestatem dominativam suorum actuum resistit.

7. *Præcluditur alia evasio.* — Forte dicitur entitatem illius auxilii secundum se spectatam, si in re ipsa separatur a reali virtute instrumentali Dei, non esse prædeterminantem, nec futurum esse auxilium efficax, nunc vero nunquam separari ab illa virtute, et ideo semper in re esse efficax et prædeterminans, et ideo vocari auxilium efficax, non formaliter, ut sic dicam, sed denominative ab illa virtute. Sed hæc et similia frustra dicuntur, et si evolvantur, vix intelliguntur. Interrogo enim an illa virtus instrumentalis addat aliquid reale entitati auxilii præcise spectatæ, necne. Quia si nihil addit, superflua est distinctio, quia illa entitas per seipsam erit virtus instrumentalis divinæ voluntatis et omnipotentia; ergo, ex vi suæ entitatis, habebit omnem virtutem realem quam habere potest, ut ex Deo procedit. Quod si sub una ratione habet aliquam virtutem realem quam sub alia non habet, aliquid etiam entitatis illi addi necesse est, quando ei realis virtus additur, nam virtus realis non est sine reali entitate. Magis

vero sentit dictus auctor illam virtutem realem instrumentariam esse aliquid reale additum entitati auxilii; dicit enim virtutem illam esse intentionale quid, per quod virtus principalis agentis est completa, ut instrumento. Unde videtur sentire hanc virtutem similem illi quæ additur per concursum prævium omnibus causis secundis, ex ejus et aliorum sententia; quod si hoc ita est, superflua est illa prior entitas auxilii efficaciæ, cui secundum se spectatæ dicitur voluntas posse resistere. Ad quid enim est tot entitatum multiplicatio? Nam si Deus addit hanc virtutem instrumentariam auxilio excitanti, vel habitui infuso, satis erit ut elevet illa ad instrumentaliter agendum in virtute Dei, et ad determinandam potentiam, ut efficaciter operetur; ad quid ergo est illa alia entitas, quæ dicitur auxilium efficax, cum de se sit inefficax? Vel qualis esse potest? Nam si sit per modum actus vitalis, erit auxilium excitans; si sit entitas de se permanens, erit habitus; si vero sit motio, vel qualitas transiens, erit ejusdem rationis cum virtute illa instrumentaria, ac subinde ex vi suæ entitatis habebit omnia quæ auxilio efficaci et prædeterminanti tribuantur.

8. *Instantia.* — *Occurritur instantiæ.* — Dici adhuc potest auxilium quidem efficax esse unam et simplicem entitatem, tamen illam non habere totam suam efficacitatem ex se, et quasi essentialiter, vel ut nativam proprietatem, sed solum ut procedit ab efficaci voluntate Dei, qua vult hominis voluntatem talem actum efficere, et consequenter vult ut illa entitate ut instrumento. Unde si fieret a Deo entitas, et non ex illa voluntate efficaci, sed ex præcisa voluntate faciendi talem entitatem, illa non haberet vim prædeterminandi, nec tantam efficacitatem. Sed hoc repugnat valde principiis illius doctrinæ. Sic enim destruantur omnia quæ de prævio concursu primæ causæ, et de motione intentionali, illi auctores dicere solent, ut libro tertio vidimus. Nam si entitas illius auxilii non habet naturam suam intrinsecam illam efficaciam et vim prædeterminandi, seu applicandi voluntatem, et causam secundam, sed solum ex Dei voluntate sine ulla reali additione, sola voluntas efficaciæ Dei volentis immediate uti potentia, vel habitu, vel actu gratiæ excitantis ut instrumento, sufficere, eritque superflua prævia motio, quasi media et inhærens potentia; et tunc incidemus in aliam opinionem et questionem tractandam duobus capitibus sequentibus, ubi videbimus an ille modus necessarius

sit, et an salva libertate locum habeat, ideoque de hac ultima evasione nihil amplius hic dicere necesse est. Solum adjungo, etiamsi demus auxilium vere efficax compleri ex illa entitate cum virtute instrumentali addita, quidquid illa sit, eandem relinqui difficultatem in ratione facta. Nam de facto præveniri dicitur voluntas per illam entitatem auxilii elevatam seu assumptam ut instrumentum absolutæ voluntatis Dei; ergo illi ut sic non potest resistere voluntas in sensu composito, quia alias sequentur contradictiones illatæ, cum supponatur voluntas non posse resistere illi auxilio, sic completo, et tunc relinquatur idem argumentum quod talis necessitas composita tollat libertatem, quia tota illa suppositio integre est antecedens simpliciter omnem usum nostræ libertatis.

CAPUT XVI.

AUXILIUM SI SIT EFFICAX AC PHYSICE PRÆDETERMINANS, NON POSSE A LIBERO USU PENDERE, SED NECESSITATEM ANTECEDENTEM INDUCERE.

1. *Adducitur modus fugiendi vim principalis argumenti.* — Venio ad alium principalem modum fugiendi vim principalis rationis. Nam aliqui ex dictis auctoribus, coacti argumentis factis, interdum retrocedunt, et conantur defendere suppositionem illam auxilii efficaciæ sic explicati non esse antecedentem, quia pendet ex aliquo usu libero humanæ voluntatis, quod satis est ut sit suppositio consequens, ut nos etiam docemus. Illa vero dependentia duobus item modis ab eis asserta est. Primus est, ut ille usus liber sit antecedens ad tale auxilium, nimirum circa aliquam dispositionem præviam ad illud, cujus intuitu, vel ratione cujus tale auxilium infallibiliter detur. Secundus modus est ut ille usus libertatis sit aliquo modo cooperans ipsi auxilio. Priorem modum inculcat sæpe Cabrera, et coguntur approbare qui dicunt hominem sufficienter vocatum non carere auxilio, nisi culpa sua, nam inde plane sequitur pendere ex libertate ejus cui datur. Nihilominus plures ex dictis auctoribus hunc dicendi modum rejiciunt, et merito, ut capite præcedenti vidimus, nam illa dispositio libera est impossibilis in illa sententia, et in plura incommoda incidit talis assertio, quæ ibi tractata sunt.

2. *Rejicitur.* — Addo insuper etiam illo modo non salvari propriam et formalem libertatem supernaturalis consensus, qua ipse vere

et in se liber dicatur et sit, quod nullo modo admitti potest, ut ex Concilio Tridentino et aliis testimoniis constat. Assumptum declaro primo, quia, quod Deus solus in nobis facit, supposita dispositione libera, non est liberum nobis formaliter, sed tantum per denominationem a tali dispositione, sicut actus exterior denominatur liber ab interiori, ut patet clare in infusione gratiæ habitualis, quæ hoc tantum modo potest libera denominari; ergo in præsentia, licet præcederet illa dispositio libera, infusio auxilii prædeterminantis, quod solus Deus facit, tantum erit libera per denominationem a tali dispositione, quia, posito illo auxilio necessario, sine nova libertate sequitur actus, ut ostensum est. Ergo talis actus non est liber, nisi per denominationem ab illa prævia dispositione. Ex quo ulterius sequitur in nostris actibus supernaturalibus nullum esse meritum, præter illud quod in illa dispositione prævia et libera cogitari potest. Ita enim in universum invenitur in omni actione quæ solum est libera per denominationem extrinsecam a præcedenti actu libero, ut in ea nulum sit proprium meritum, præter illud quod in actu denominante invenitur, ut in actu exteriori non est distinctum meritum ab illo quod est in interiori, a quo proxime imperatur, et in receptione gratiæ habitualis et in similibus idem servatur, ut in materia de merito latius videbimus; ergo simili modo voluntas credendi, quæ necessario fit, posito auxilio efficaci, non habet novam laudem, nec proprium meritum præter illud quod in dispositione libera ad tale auxilium invenitur. Hoc vero nullus Theologorum admittet, et ideo illa sententia merito ab omnibus explodenda est.

3. *Secundus modus dicendi.* — *Impugnatur.* — Secundus modus dicendi in hoc puncto est illam dispositionem liberam non esse aliam ab ipso consensu, qui est effectus auxilii excitantis; nam eandem dicunt esse dispositionem ad ipsummet auxilium. Nam potest in genere causæ materialis illud antecedere, licet in genere causæ efficientis ab illo sequatur. Ita refert Cumei, in dicto lib. 1 Opusculor., disput. 4, sect. 2, sub titul. *Conferentia difficultatum*; et Lorca, disputat. 21 de Gratia, in fine, et potest tribui Palentia, tom. 2, disput. 8, quæst. 3, puncto 4, § 2, conclus. 5, quamvis ibi loquatur de infusione habitus quam ponit inter auxilia gratiæ efficaci; non potuit autem id sentire de auxilio prædeterminante, quod ibi late et efficaciter impugnaverat. Cujuscumque

tamen fuerit illa sententia, falsa est sine dubio, meritoque a prioribus auctoribus impugnatur. Primo, quia in universum impossibile est effectum, factum a forma in genere causæ efficientis, esse veram causam ejusdem formæ in genere causæ preparantis subjectum ad introductionem talis formæ: quia intelligi non potest forma in aliquo genere realiter causare, nisi jam habeat esse reale, quod habere non potest priusquam fiat a sua efficiente causa; ergo ante hanc efficientiam impossibile est præcedere aliquam realem causalitatem ejusdem formæ. Sed de hoc fusius disputabimus infra tractando de justificatione. Nunc addo, etiamsi vera esset illa mutua causalitas inter formam efficientem et dispositionem ejus, nihil id referre ad salvandam libertatem, supposito modo efficiendi auxilii efficaci per physicam prædeterminationem. Nam argumentum factum probat efficientiam illam esse necessariam et sine usu libertatis, propter impotentiam resistendi, et continendi influxum voluntatis: hæc autem impotentia et necessitas eadem est, etiamsi consensus dicatur præcedere in genere causæ materialis. Nam hoc (juxta illam sententiam) commune est dispositionibus et agentibus naturalibus, ut in forma et calore ignis, et similibus. Ergo ad summum erit consensus dispositio physica ad tale auxilium, non vero dispositio libera. Accedit specialis repugnantia in principiis illius sententiæ. Nam hoc auxilium ponitur tanquam prævius influxus primæ causæ, a quo essentialiter pendet actio causæ secundæ; quis autem dicat vel intelligat actionem causæ secundæ esse dispositionem præparantem ipsam causam secundam ad recipiendum prævium influxum Dei ad eandem actionem? Item in illa sententia impossibile est intelligere concursum simultanem Dei præcedere ad prævium respectu ejusdem actus; sed in eodem actu non potest actio causæ secundæ, ut est ab ipsa, in illo genere causæ antecedere simultaneum concursum Dei; ergo multo minus potest antecedere ad concursum prævium, seu auxilium efficax. Denique auxilium efficax ponitur in voluntate, ut det illi posse agere et agere; sed impossibile intelligere actionem in potentia antequam agat, et multo impossibilius antequam possit agere; ergo impossibile est ut actio, propter quam datur auxilium efficax, ante illud præcedat in quolibet signo naturæ aut genere causæ.

4. *Tertius modus.* — Tertius ergo dicendi modus est hanc suppositionem istius auxilii efficaci non esse antecedentem, quia ip-

summet auxilium seu prædeterminatio, quæ per illud fit, non est a solo Deo, sed etiam a libero arbitrio cooperante, et efficiente ipsamet prædeterminationem ex propria deliberatione. Ita docet Ledesma, dicta quæstione, art. 10, ad part. 1, et ad 7, ubi ait prævium auxilium non præsupponi simpliciter ad actum secundum, sed esse initium ipsius actus, ita ut, quando est tale auxilium prædeterminans, jam sit ipse actus in suo principio; et ad 8 ait, ideo voluntatem, non obstante hac prædeterminatione, libere se determinare, quia taliter prædeterminatur a Deo, quod ipsa concurrat ad suam prædeterminationem. Et in art. 8, ex professo probat hanc prædeterminationem non fieri a solo Deo, sed etiam a voluntate simul coefficiente illam; et in conclus. 3, id probat, quia si solus Deus efficeret prædeterminationem in actu primo, jam actus eliceretur a voluntate prædeterminata, et sic non esset simpliciter liber, sed necessarius, quia voluntas sic determinata non posset non elicere actum ad quem prædeterminatur, et sic actus ille elicetus non procederet ex libertate voluntatis, quia in ipsa elicentia actus (sic loquitur), prædeterminatione supposita, non reperitur libertas, sed potius necessitas.

5. In quibus verbis, et rationi nostræ et assertioni optime consentit, sed plane dissentit ab aliis ejusdem ordinis auctoribus, qui tanquam dogma in sua sententia tradunt prædeterminationem physicam a solo Deo fieri in voluntate; imo et a seipso in multis aliis locis dissentit. Nam vult hoc auxilium efficax esse ejusdem modi cum concursu generali prævio, qui est, juxta suam suorumque sententiam, immediatus influxus causæ primæ in secundam, complens, juvans, et applicans, et determinans eam ad agendum; ergo non est a causa secunda, quia nondum mota et applicata nihil potest agere. Item in causis naturalibus quæ agunt actione transeunte, nullus ex illis auctoribus dixit influxum causæ primæ in secundam esse ab ipsa causa secunda, quia non potest calor, verbi gratia, agere in seipsum. Neque id dici potest secundum ipsos in voluntate libera, quia nihil potest agere nisi prædeterminata; ergo prædeterminatio non potest esse ab ipsa, quia esset ab illa ut nondum determinata. Multo ergo minus potest id dici de auxilio efficaci gratiæ, si in tali prædeterminatione consistit; tum quia minus poterit voluntas indeterminata in ordine supernaturali agere; tum etiam quia tale auxilium prærequiritur ut det vires agendi voluntati; tum maxime

quia tale est hoc auxilium, ut detur voluntati independenter ab ipsius usu libero, ut capite 10 ex eorundem auctorum sententia ostendimus.

6. *Duo exempla, quibus declaratur præcedens doctrina.* — Denique si Deus, dando hoc auxilium, non solus operetur, jam illud non esset immediatus influxus in causam, sed in operationem causæ, quia illa prædeterminatio esset quædam operatio causæ, scilicet voluntatis, cum ab illa fieri et consequenter elici dicatur. Sed in hoc puncto etiam habet notabilem doctrinam prædictus auctor in eodem artic. 8, ad 2; dicit enim quod voluntas, antequam intelligatur operari formaliter et expresse, præintelligitur habere aliquam operationem interpretativam, et veluti virtualem, quæ reducitur ad ipsam operationem formalem. Per quæ verba significat prædeterminationem consistere in illa operatione virtuali, quam duobus exemplis declarat. Unum est, quia voluntas, dum amat, vult amare, non alia operatione formali, sed interpretativa. Aliud est, quia pura omissio est voluntaria interpretativa, non formaliter.

7. *Quæ quidem doctrina nova est auctori.* — *Quæ sequantur incommoda.* — *Primum.* — Sed doctrina hæc mihi est nova, quia in nullo alio Theologo antiquo, vel moderno Thomista, vel alterius Scholæ, illam legi, et ita fateor me non intelligere quid sit illa operatio interpretativa in præsentia materia, vel quomodo per illam expediatur difficultas. Unde interrogo an illa operatio interpretativa sit aliquid distinctum a voluntate, sive ut res omnino distincta, sive ut modus realis novus, aut nihil reale sit in voluntate. Si hoc posterius dicatur, sequitur auxilium efficax prædeterminans nihil esse in rerum natura distinctum a voluntate, nec per illud factam esse mutationem realem in voluntate, sed esse ipsam voluntatem, nescio quo virtuali aut morali modo a nobis conceptam, quod quam sit absurdum, tam simpliciter quam in doctrina ejusdem auctoris et suorum, per se est evidentissimum. Nam per illud auxilium dicitur voluntas recipere vires, et juvari ad agendum, et applicari, et similia quæ sine aliqua realitate nova intelligi non possunt. Si vero admittatur primum, necessarium est fateri illam rem vel realem modum fieri per veram et formalem efficientiam, quia nova mutatio formalis et realis non fit sine propria efficiente causa, et ita illud auxilium vere et formaliter a Deo fit; ergo si fit concurrente

voluntate, etiam ab ipsa efficiente fit; ergo est formalis actio et operatio, et non tantum interpretativa. Accedit quod operatio interpretativa dicitur esse libera, non per modum omissionis seu suppositionis concursus, sed per modum positivæ operationis; positivus autem usus libertatis intelligi non potest sine vera efficientia, ut in prolegomeno 4 probatum est.

8. *Aliud incommodum.* — Ex quo sequitur aliud incommodum et alia contradictio, nimirum quod auxilium efficax non reducatur, ut sæpe ipsi asserunt, in solam Dei voluntatem, sed etiam in hominis libertatem, quandoquidem libere cooperari dicitur illi prædeterminationi. Alia præterea contradictio est, quod illa operatio interpretativa, vel quomodocumque nominetur, erit a voluntate indifferente, et nondum determinata; cur enim non idem dici poterit de operatione vera et formali? Vel, si hoc repugnat, ut ille auctor toties repetit, cur non illud, præsertim cum illa operatio interpretativa vel nihil sit, vel non possit non esse aliqua vera et determinata efficientia proficiens a principio activo indifferente? Tandem illa operatio interpretativa necesse est in re ipsa distingui ab operatione formali, quia realiter influit in illam influxu distincto et simultaneo, et est aliquid supernaturale; ergo non potest esse in voluntate, nisi per supernaturalem actionem, vel tanquam supernaturalis actio; erit ergo vera et formalis operatio supernaturalis, et ita, quoties homo consentit gratiæ vocanti, efficit duas liberas voluntatis operationes, vel actiones supernaturales, quod nemo hactenus dixit, neque verisimile est, quia nihil cogitari potest per secundam illam actionem quod per unam non sufficientissime fiat, ut per se constat, et in exemplis in contrarium adductis declarabitur.

9. *Respondetur ad primum exemplum de voluntate amante et volente amare, etc.* — Unde ad primum exemplum, de voluntate amante et volente amare, respondemus contrarium illo exemplo manifestari, nam, cum homo voluntarie amat vel odit, non alio actu formali vel interpretativo vult amare. Sed ipsomet actu, quo amat directe objectum, amat intime et quasi reflexe actum ipsum. Neque necessarium est prius natura aliquem consistat, non quam amet, aut voluntatem amandi esse aliquid in voluntate distinctum ab ipso amore, et realiter influens, vel efficiens ipsum formalem amorem; sed unico impetu voluntas amat objectum, et illemet amor seipso est volun-

tarius et amatus. Alias oporteret in infinitum procedere, quia quilibet amor voluntatis est voluntarius et amatus, et ita in nullo potest melius sisti quam in ipso primo amore quo incipit objectum amari. Quia, sicut illo actu amatur objectum, ita ratione objecti ipse etiam amor amatur; unde neque prius amatur amor quam objectum, nec objectum potest amari quin amor ipse ametur. Sic ergo, quando voluntas libere determinatur ad volendum vel amandum, libera determinatio non est aliquid prævium ad ipsam actionem amandi, sed quia ipsa actio amandi seipsa voluntaria est, per seipsam est formalis determinatio voluntatis in actu secundo, ante quam non antecedit alia determinatio in actu primo, ut ostendi; neque est necessaria alia prævia determinatio in actu secundo, quia alias procederetur in infinitum, et quia per ipsam voluntariam actionem sufficientissime fit talis determinatio, ut etiam lib. 3, cap. 42, declaravi; et ita illa determinatio non est virtualis actio, sed formalis, non distincta ab ipsamet actione consentiendi aut amandi, sed ipsamet per seipsam voluntaria est, et quamdam reflexionem virtuales includit. Unde immerito vocatur prædeterminatio respectu ejusdem voluntatis, cum nullo modo antecedit tempore vel natura determinationem ejus, ut jam etiam adverti.

10. *Ad aliud exemplum respondetur.* — Aliud vero exemplum non est ad rem, quia omissio pura nulla actio est, nec formalis, nec virtualis, sed est suspensio actionis quæ nihil reale addit voluntati quod ab ipsa vere fiat. Dicitur autem virtualiter seu interpretative voluntaria, quia contrarius actus est in potestate libera voluntatis, et cum sufficienti advertentia non exit in actum, et ideo moraliter ac interpretative censetur ac si directe vellet operari, et ideo dicitur virtualis quædam volitio, non per aliquem modum actionis quæ in re ipsa inveniatur, sed per quamdam imputationem moralem, et quasi æquivalentem æstimationem. In præsentem autem si prædeterminatio illa interpretativa intercederet, oporteret esse aliquid positivum et reale, ut declaravi, quia effectus ejus non esset carentia actus, sicut in omissione, sed esset positiva determinatio potentia de se indifferente, nam cum hæc indifferencia in quadam negatione consistat, non potest determinari nisi per aliquid positivum additum potentia. Quod si illa operatio libera interpretativa negative explicetur, non poterit esse nisi carentia contrariæ determinationis, et ita incidimus in opinionem ab eodem

auctore nobiscum impugnatam, de prævia dispositione negativa, quia, juxta illam sententiam, prius natura quam voluntas se determinet, si a Deo non incipit prædeterminari, non libere, sed naturaliter caret utraque determinatione et est capax illius, et ita ex parte illius non potest sumi ratio ob quam magis ad unam quam ad alteram partem prædeterminetur, ut capite 10 late declaratum est. Relinquitur ergo ut talis prædeterminatio sit a solo Deo, et simpliciter necessaria voluntati, quando illi imprimitur, et consequenter ut actio, quæ ab illa necessario fluit, sit simpliciter necessaria, et non libera. Atque hæc sententia iterum inculcabitur et impugnabitur in sequenti puncto.

CAPUT XVII.

VIS SUPERIORIS DISCURSUS ALIO MODO MANIFESTATUR, ET ARGUMENTIS SATISFIT.

1. Ultimo, possumus efficaciam dicti fundamenti declarare, quia voluntas potest necessitari a Deo per impressionem alicujus motionis, impulsus vel præviæ entitatis sibi indita, quocumque nomine appelletur; sed non potest vehementius necessitari quam per illum modum prædeterminationis; ergo illa prædeterminatio est vera necessitas contraria libertati. Major probata a nobis est in prolegomeno primo, ubi ostendimus esse communem. Minor probatur ex æquiparatione, quia nihil cogitari aut explicari potest in quo excedat illa necessitas ab hac prædeterminatione.

2. *Duplex modus prædeterminationis a quibusdam distinguitur; una cum modo necessitatis, alia non ex necessitate.* — Solent nihilominus isti auctores distinguere duplicem modum prædeterminationis; unam dicunt esse cum modo necessitatis, aliam non ex necessitate, sed secundum modum naturæ voluntatis, et ideo libere. Ita Ledesma, artic. 10, ad 1 et ad 8, ubi addit, etiamsi per habitum ita determinaretur voluntas quoad exercitium actus, sicut nunc dicitur determinari per motionem auxilii, non fore necessitandam, quia determinatio non esset naturalis, sed secundum modum suum. Eadem distinctione utitur F. Cumel in Opusc., lib. 1, disput. 5, post secundam conclusionem, § *Videntes hoc auctores, etc.* Item Alvarez, disput. 22, num. 11, colligitque distinctionem ex D. Thoma 1. 2, quæst. 10, art. 4, ubi D. Thomas ait *ita Deum movere voluntatem, ut non ex necessitate illam deter-*

minet. Sed hunc locum in lib. 3 late tractavi. Allegat etiam eundem doctorem sanctum, 1 part., quæst. 23, artic. 1, ad 1; quæst. 5 de Verit., art. 5; et 3 contra gent., cap. 90, imprimis, quia in his locis, tractando locum Damasceni dicentis Deum non prædefinire actus liberos, illum exponit de prædefinitione necessitante, indicans esse aliam non necessitantem. Quæ distinctio ex mente Damasceni et D. Thomæ posset facile intelligi de præfinitione interna Dei, et externa prædeterminatione. Nam prior non mutat voluntatem hominis, et ideo de illa recte dicitur non necessitare voluntatem, quia per se et immediate non agit in illam, ut infra explicabo; et de prædeterminatione ad extra nos contendimus necessitare voluntatem, et ideo negasse illam Damascenum, et de illa intelligendam D. Thomæ interpretationem.

3. Omissis tamen nunc testimoniis de quibus postea, petimus ab his Patribus in quo duo isti modi differant, ut in uno dicatur necessitari voluntas, et non in alio. In quo varia dicta esse invenio ab eisdem auctoribus, quæ proponam, ut lector judicet an vel inter se consonent, vel satis intelligantur. Primo ergo voluntas dicitur determinari secundum modum suum, quia prædeterminatur mota per iudicium rationis ex se indifferens, qui modus motionis est maxime naturalis eidem voluntati. Unde differentia erit quod, quando prædeterminatur cum modo necessitante, non movetur per iudicium indifferens; ita videtur exponere Cumel supra. Unde sequitur secunda differentia, quia, cum voluntas prædeterminatur secundum modum suum, non prædeterminatur physice ab objecto, nec ab interno impetu, sed tantum ab extrinseco; quando vero prædeterminatur cum modo necessitatis, prædeterminatur ab objecto, vel ab interno et connaturali impetu, quod est contrarium libertati. Ex quo constat tertium discrimen; nam quando voluntas determinatur ab extrinseco, stante perfecto et indifferenti iudicio, actus est perfecte voluntarius et rationalis sine interna determinatione, et ideo est liber; quando vero determinatio est alio modo, aut actus voluntatis non est plene rationalis nec perfecte voluntarius, quia per surreptionem quamdam et imperfectam ac inconsideratam cognitionem movetur, et consequenter cum interna necessitate; vel si cognitio et iudicium est perfectum, et inde voluntas spontanea et voluntarie fertur, objectum tale est, ut ab interno impetu voluntas necessario in illud feratur, ac subinde ex necessitate.